

## DE ATHENAEI CODICE MARCIANO ADNOTATIUNCULA.

Iam a. 1472 Bessario cardinalis pretiosissimum illum Athenaei codicem manu scriptum rei publicae Venetae testamento legaverat, sed tamen casus varii per diu obstabant, ne hic singularis fons in textu constituendo plene exhauriretur. Nam a. 1514 cum Musurus Venetiis ipsis editionem principem Aldinam parabat, codex tenebris obrutus videtur latuisse. Quo factum est, ut denique Ioannes Schweighaeuser a. 1748 eum quodam modo iterum retegeret retectumque Parisios transferendum curaret, ubi Godofredus filius eum excuteret. At iuvenis legendis codicibus haud satis exercitatus muneri impar erat, quamquam a librario ingens volumen incredibili diligentia et munde et dilucide exaratum est. Quae cum ita sint, vix mireris eos, qui postea codicem Venetiis adierunt, Cobertum, Dindorfium, Rudolfum Schoell omnes aliquem fructum cepisse. Postremus Georgius Kaibel egregiam editionem suam adornans totum codicem religiosissima cura denuo contulit. Cuius opera viris doctis, qui hucusque Naucraticam tractaverunt, acquiescendum erat, praesertim cum omnibus editionis Kaibelianae exemplaribus divenditis bibliopola illam immutatam iterare satis haberet. Fr. Bock quidem censuram faciens editionis quam nunc ipsum Burton Gulick in Bibliotheca Loebiana emittit, novam recensionem post Kaibelianam utique supervacaneam esse profitetur (Phil. W. II 504). Atqui etiam nunc post doctissimi et diligentissimi viri insignem laborem utilitatem ut exiguam, ita non prorsus spernendam e libro venerabili enucleando acquiri posse scidula permodesta comprobare liceat, quam subiecimus.

Prima pagina Marciani, quem a libro tertio 74 A Schw. = 172, 15 K incipere constat, misere detrita est, ut nonnulla verba haud facile legi possint. Iam in primo codicis vocabulo legendo Kaibel haeret dubius in adnotatione adferens *στέλλω ζαφανίδας*, quod interpretatur *σελεόν, ζαφανίδας* . . . At in libro satis perspicue legitur *σελεωραφανίδας*. Quo in vocabuli

monstro spectandum est scribam anxium et alibi in obscura litterarum serie perpetua accentus suo arbitratu adpingere noluisse. Lacunae autem ab editore indicatae nec vola nec vestigium apparet. Paulo post 173,17 K pro *πανσελήρους* codex exhibet *πανσεληγαίους*, deinde 173,20 K pro *τῶν περὶ σύκων λόγων* recte *τὸν περὶ σύκων λόγον* ac statim *κρέμασθαι* pro *ἀποκρέμασθαι*. Codicis scripturas *κραδῆς* (173,22), *τάμοι* (173,23), *σικῶν* (173,28), licet leves et inutiles sint, ideo adfero, quod editor, qua est diligentia, alibi tales orthographiae discrepantias adnotare solet.

Sed iam substitimus. Si cui hoc minutiarum spicilegium primam codicis paginam non excedens exspectatione uberius videatur, iterum hic monuerim illam paginam male conservatam interdum lectu dubiam esse; at minime gentium existimet quispiam mihi in animo fuisse levibus correctionibus id genus fidem operae Kaibelianae in ceteris partibus a me cognitam in suspicionem vocare. Immo vero aliae quoque lectiones variantes quamvis sint raras, ex unico codice isto in lucem emergent. Quae cum ita sint, ad novam editionem recognoscendam satius videbitur Bessarionis codicem ipsum denuo inspicere, etsi procul dubio fructus tam exiguus redundabit, ut vix ingentis operae pretium factururus sit, qui totum librum pervolvens integram instituerit conlationem.

Vindobonae.

Constantinus Horna.